

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.
0541

0539

0545

0535

526

manducavimus nec bibimus. Sic ergo alii et major pars judicabant esse procedendum, sed ad quam plagam et partem penitus ignorabant, nam densae tenebrae erant, ita ut montes ante nos penitus videre non possemus nec vestigia et vix mare a tergo, quod tamen naturaliter in tenebris quodam splendore fulget. Vagabamur ergo per incertum, nunc ad dextram, nunc ad sinistram, nunc per directum, nunc per indirectum, nunc sequebamur opinionem illius, post paululum reclamante alio eundem sequebamur, aliquando cum silentio omnes substitimus auscultantes, an sonum aliquem colloquentium aut clamantium audiremus, sed nihil audientes nos ipsi magnis vocibus clamavimus et in hoc nec latrones nec praedones timuimus, quia optavimus hominem ad nos venire, a quo aliquid discere possemus. Interea vidimus ante nos rutilare ignem, exsurgere splendorem et laeti fuimus aestimantes, socios nostros ignem accendisse propter nos, et dum laeti splendorem sequeremur, delusos nos esse statim conspeximus, quia erat quaedam stella perlucida, quae oriens radios suos a cacumine montis emisit. Porro dominus Heinricus de Schomberg, vir cogitativus et prudens, tendebat contra quandam stellam et ad sui sequelam nos invitabat dicens, se certum invenisse in coelo tramitem in nostrum exercitum; sed unde hoc habuerit, nescio, hoc tamen scio, si cum secuti fuissemus, directe in exercitum venissemus. Verum cum per aliquod spatium eum;secuti fuissemus, dicebat quidam, quod nimis dexteram peteret et ita dimissa (**68a**) directione domini Heinrici alium secuti sumus ad sinistram. Inter haec nonnumquam ad litigia devenimus, illo volente hue, altero illuc. Duas res ego in hac tribulatione aequa timui, sicut ipsam tribulationem: una, quod duo principales nostri milites contra se insurgerent et gladios eximerent, quia scivi eos vecordes ad invicem, et ideo cum industria, quando disceptabant de via, posui me cum asino in medium eorum, ne propinqui sibi citius moverentur. Altera: quod, quia diversae opinionis eramus de plaga, timui, quod aliquis suum conceptum sequeretur et a nobis divideretur et periret, unde magna cura vigilavi, ut litigantes delinirem et evagantes revocarem. Dixi aliquotiens sociis tristibus, non timeatis tantum, non irascamini ad invicem et non separemini ab invicem, his enim duobus

Ende

Anfang

